

que possidet, omnibus scientibus, liberam habeat uendendi facultatem, et recedens de villa retineat eandem. Statuimus eciam, ut sacerdotem, quemcunque voluerint, in suam recipiant ecclesiam; de decimis eorum, prout mos est hospitibus, vbi-cumque manentibus, disponentes. Mete autem terrarum dictorum hospitem nostrorum de Zumbur, sicut per litteras nostri fidelis comitis Stephani, fratris Bobonegh, qui ad id cognoscendum specialiter per nos fuerat destinatus, intelleximus, hoc modo distinguuntur: prima meta incipit de Thopol, et tendit ad fontem vnum, deinde tendit ad Brenilaz, deinde per siluam tendit ad Rochoyca, vbi due aque simul ueniunt, deinde sursum tendit usque quod uulgo dicitur Pyzni, deinde per montem iterum tendit ad Rocoycha (sic), deinde ad Brezthoycha, et postea ultra montem tendit in riuum Chernych, deinde ad Lipoicham, deinde per montem tendit ad Grabonicham, et deinde per eundem montem, qui uulgo dicitur Pozorin, tendit ad Gradna, et deinde descendit ad uiam, per quam uiam iuxta Presekam ascendit ad montem et per eandem uiam descendit ad fontem Byzterch, et per Byzterch uadit et sub Boboycha exit, et iterum tendit ad priorem metam Thopol. Nec hoc tamen sub silencio uolumus preterire, quod predicti hospites nostri nobis annuatim pro collecta centum pensas, et pro tributo fori triginta pensas soluere teneantur. Ut igitur enarrate libertatis series sepe dictis hospitibus salua semper et irreuocabilis permaneat; presencium ipsam auctoritate ac dupplicis sigilli nostri impressione propensius confirmamus. Datum in villa Vereucha Anno Dominice incarnationis. Millesimo ducentesimo quadragésimo secundo, regni uero nostri anno octauo.

Originale membr. in Archivio Communitatis Samoboriensis Fasc. I. N. 1. Habent quoque sat erronee: Kerčelić. Notit. praelim. pag. 458. — Katona Tom. V. pag. 1066. — Fejér. Codex Dipl. Regni Hungariae. Tom. IV. vol. I. p. 264.

### LII.

*Anno 1242. 16. Kal. Decembris.*

**Bela IV. Rex civitati Montis Grecensis seu Zagrabiensis  
insignes libertates et jura confert.**

In nomine Sancte Trinitatis et indiuidue Unitatis. Amen. Bela dei gratia Hungarie, Dalmatie, Chroatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex in perpetuum. Regum celsitudo requirit et sublimium dignitati debetur, ut tanto amplius in multitudine plebis gaudeat, quanto ipsi auctoritate ceteros antecellunt. Hinc est, quod tam presentibus quam posteris harum serie declaramus, quod cum nostre placuisset uoluntati in Zagrabia in monte Grech ciuitatem liberam construere et ibidem hospites conuocare, et illam partem regni ad securitatem confinj et alia commoda munire et firmare, conuocato consilio, cum dilecto et fideli